curantur contrariis, ut quia fuit superbie vicium, tanta fore virtus humi-
litatis. Tantum fuit vicium superbie ut homo vellet esse sicut deus, super
quod spem suis illi promiserat: Eritis sicut dii scientes bonum et malum. Ergo tan-
ta debuit esse virtus humilitatis, ut deus fieret sicut homo. Iuxta quod dicit
apostolus: Cum in forma dei esset, non rapinam arbitratus est esse se equalem
deo, exinanivit se formam servi accipiens, in similitudine hominum factus
et habitu inventus ut homo. Verbum enim caro factum est ut daret nobis humi-
litatis exemplum, quatenus qui superbi recessimus humiles redeamus. Inicium enim
peccati est superbia. Per hanc angelus peccavit in celo qui dixit: Ponam
l'ab aquilone sedem meam in celo et ero similis altissimo. Per hanc homo peccavit in
paradyso, cui dictum est: Eritis sicut dii scientes etc. Hoc vicium prius
est in peccante et in penitente ultimo recedente peccatum immittit. Quia quam
cito mandatum divinum contempnimus, tam cito contra dominum superbimus et
quam cito per mandatum eius oppugnimus, tam cito coram deo humiliamur.
Verbum ergo caro factum est, ut sic humiliatus est deus pro homine, dominus pro suo
creatura pro creatore.
creator pro creatura. Sic humiliet homo pro deo, servus pro domino,
Qui se exaltat humiliabitur et qui se humiliat exaltabitur. Deus enim superbis resistit,
humilibus autem dat graciam. Inter deum et homines magna erat inimici-
ciarum discordia, quam homo peccando sibi subtraxit et abstulit deo,
quem tradidit et subiecit dyabolo. Pax ergo inter eos fieri racionabiliter
non poterat nisi dampnum quod intulerat restauraret homo vel non habebat
quod digne deo recompensaret pro dampno. Quia si quid de irracionabili
redderet creatori pro racionabili anima minus esset. Sed hominem digne non
potuit restituere quia iustum et innocentem abstulerat et neminem
nisi peccatorem inveniebat. Videns itaque deus hominem sua virtute
non posse iugum dampnacionis evadere, postea punivit eum per solam
misericordiam ut deinde liberaret eum per iusticiam. Ut ergo deus placari posset
ab homine, dedit homini gratis quod homo ex debito redderet deo. Dedit
igitur hominem homini, qui restitueret homo pro homine, qui ut recompen-
sacio digna fieret prior non solum esset equalis sed maior. Eundem
oportebat eum esse maiorem ut unus pro universis sufficiens
haberetur. Quo circa verbum caro factum est, ut daret se aliter deus homo